Univerſis RR. Adm. TT. Provincialibus, Prioribus, Magiſtris, Cæteriſque ſtudioſis Fratribus Ordinis B. V. M. de Monte Carmelo regularis antiquæ Obſervantiæ

F. Joannes Baptiſta Archetti a Ferraria Carmelita omnium minimus
S. P. D.

Bibliotheca Scriptorum Carmelitarum Regularis Antiquæ Obſervantiæ a primi Prioris Generalis latini temporibus in hanc uſque diem Chronologicè deducta, & Notis Hiſtorico-Criticis monita; quam tribus ab hinc Annis, per Otium, & in privatum mei commodum adornandam ſuſcepi, quum & Scriptorum numero, & conquiſitarum rerum copia excreverit adeo, ut, ſi ad Colophonem perducatur, publici juris fieri poſſe probaverint ij, quos in eadem dijudicanda Cenſores volui rigidos, ac minime præjudicatos: operæ pretium duxi, donec ea, quanti mea refert, ſecundis curis Prælo maturetur, Vos omnes Religioſiſſimos Patres, in quorum commune bonum eſt emerſura, hac Encyclica non tam convenire, quam conſulere, ac etiam in partem advocare laboris, ut junctis animis & conatibus in publicam lucem illa tandem prodire poſſit & uberior & elaboratior. Neque miraturos vos ſane puto, ſi ad hujus meæ exercitationis complementum operas veſtras veluti oppido neceſſarias eflagitem. Noveritis ſiquidem, vel ex ſolo harum litterarum exordio, rem arduam nimis & ſalebroſam, ne dicam ampliſſimam & propemodum immenſam mihi moliendam propoſuiſſe; totius nempe Ordinis noſtri cum antiquiſſimi, tum longe lateque diffuſi Viros magnos virtute, eoſdemque ſapientia præditos, ſi minus omnes, certe quam multos, ab oblivione, in qua hucuſque inglorii jacuere, me cupere pro virili vindicare, eorum excitare memorias, in Syllabum redigere nomina, geſta pro dignitate celebrare, ſcripta recenſere, ac cætera proſequi, quis, qui olim in generationibus Gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, etiam poſthac promeritis habeantur in laudibus.

Quamquam autem id vehementiſſimè exopto; proptereaque conceptum Opus impiger adorſus in pleriſque ad idem facientibus qua reperiendis, qua diſponendis, qua illuſtrandis tempus, oleumque non paucum inſumpſi: veruntamen non is ego ſum, qui quamplurima alia ad illud idem abſolvendum magnopere deſiderata valeam uſquequaque præſtare. Etenim, ut videtis, Regna in immenſum diſſita eſſent mihi adeunda, percurrendæ Urbes innumeræ, Archivia & litteraria Cimelia penetranda, plutei introſpiciendi, pulverulenta, ac exeſa ſcripta eruenda, verſanda, excutienda; nequid addam de infinitis pęne procuſis voluminibus rimandis, ſuſdeque vertendis, ut inde improbo labore quidpiam aut eruderem, aut conflarem, quod præſenti meo inſtituto cederet quoquomodo opportunum & idoneum. Porro univerſa hæc neque mei ſunt humeri, nec alterius cujuſque, quamvis Atlantem fingamus. At enim vero ſunt ejuſmodi, quæ Vos ipſi, nec inviti, fateamini haudquaquam obtineri poſſe, niſi ſolers plurimorum concurrat induſtria, & Frater adjuvetur a Fratre. Quod ergo mihi uni ulla ratione eſſe obventurum ne ſomniandum quidem eſt, nullo negotio factum iri certiſſime confido, ſi data dextera mecum Vos ipſi connitamini, conlaboretis, conſtitutam, accuratamque veſtram quiſque in idipſum conſeratis operam. Scilicet Vos in quaque diverſa Mundi parte degentes, atque Cænobia eadem & Civitates, in quibus quondam Viri illi claruere, Incolentes, facillimè, dummodo animum applicetis, ſuppeditare poteritis, quæ toti conſtruendo, vel magis augendo perficiendoque Operi dicebamus modo perneceſſaria.

Verum ne incaſſum abeat labor veſter, ſi forte, quæ per me explorata ſunt iterum renuncientur, quantum ego in hac mea qualicumque congerenda Bibliotheca hactenus præſtiterim, candide aperio, ex quo quid vobis, pro coronide eidem imponenda agendum ſuperſit facile intelligetis. Igitur poſt noſtrates fere omnes Hiſtoricos ad lancem appenſos, ut primo ex domeſticis egregia Scriptorum noſtrorum facinora, & litterarios exantlatos labores certiori indagine in rem meam ſeponerem; protinus ad exoticas Typis excuſas Bibliothecas, Athenæa, Theatra, Syllabos, Catalogos, & id genus alia quocumque demum circumferantur ornata titulo (quotquot tamen, non vulgari adhibita cura, in mei notitiam devenere) ſive Civitatum, ſive Regnorum, Provinciarum etiam, & Nationum to-

tum

Digitized by Google

tum me contuli, propriiſque oculis ſingula uſurpavi; atque temperanti Critice uſus hoc mihi videor aſſequtus, quod ex illis invicem, nec perfunctorie collatis, aptiora ſelegerim, obſcura explanarim, ſubleſta reſpuerim, falſa confutarim, correxerim errata, & adempta Ordini vindicarim. Ad hæc: itinera per occaſionem aggreſſus, & finitimarum aliquot, earumdemque perilluſtrium Italiæ Civitatum publicas, privataſque ſcrutatus Bibliothecas ſepenumero in plura inibi latitantia offendi, quæ locatam operam largiſſime repenſarunt. Viros deinde, quos in hoc ſcribendi genere novi ſcientiſſimos, conveni, conſului, auſcultavi; ac eorum monitis rite obſervatis, non parum me profeciſſe fateor ingenue. Ultra, quo progrediar, non video: ſi quid mihi tentandum præterea, ut libere admoneatis exoratos Vos volo.

Jam vero perſpicuum fit, quoties operi ſuffragari in animum inducatis, quid veſtra interſit; nimirum, omiſſis, quæ libris impreſſis ante memoratis evulgata noveritis, (niſi fortaſſe ſingulare quidquam in iiſdem a Vobis deprehenſum fuerit veſtra diligentia dignum, aut quod Criterio noſtro ſubduci nequaquam liceat: quæ ſaltem ſignificare veſtræ erit humanitatis) in id unum incumbere, ut Monaſteriorum veſtrorum Monimenta, Libros, Kalendaria, Necrologia expendatis, obſoletas evolvatis membranas, & chartas; atque omnes inde comparatas notitias, quæ de Scriptoribus noſtris adhuc ſuperant, nec alias fuerunt libris commiſſæ, colligatis, & Tabulis conſignetis. Ubi hæc perfeceritis, tum Bibliothecarum qua publicarum, qua privatarum apud alios Regulares Ordines, vel Viros doctiſſimos, aut etiam Principes, in veſtri incolatus Urbibus exiſtentium aditus, ſi fas eſt, introeatis: ſatagentes nequid, vel minimum veſtram ſubterfugiat inquiſitionem. Multa, mehercle, vobis occurrent domeſticis Scriptoribus illuſtrandis ſatis accomoda, futura propterea, & mihi magno ſubſidio, & Bibliothecæ noſtræ maximo ornamento.

Ne porro in Notitiis præfatis cumulandis aliqua irrepat allucinatio, vel tumultuaria congeſtio, utilem fore autumamus hanc, quam ſubiicimus, methodum; videlicet.

I. In Cenſum referatis Scriptores illos antiquiores, quos de novo detegere contigerit: quos nempe ſciatis nuſquam penes exteros Hiſtoricos reperiri commemoratos; quoſque itidem penitus intactos preterierint noſter P. Lezana, cæterique noſtrarum rerum Editores.

II. Illos, de quibus parce admodum diſſerunt ſive laudatus Lezana, ſive Lodovicus Jacob, ſive Daniel a Virgine Maria, vel alter quicumque; Scriptores quippe ex noſtris bene multi apud iſtos leguntur recenſiti, quorum ſi nomen excipiatur, nil præſeferunt, quo pro meritis dignoſcantur. Quamobrem horum geſta fuſiori calamo veniunt expolienda.

III. Illos in medium proferatis, qui Anno circiter 1680. uſque modo alto adhuc, ſi paucos, atque inter iſtos, Luſitanos demamus, ſupprimuntur ſilentio. De his, utpote recentioribus, promptius erit longam & magis accuratam inſtituere narrationem, quum ampliora, & minus abdita apud Indigenas de eorum vita & ſcriptis ſuppetere documenta conſentaneum ſit. Inter Noſtri Ordinis ſcriptores etiam Sanctimoniales, quæ aliquid aut ſcripſerint, aut ediderint, jure optimo connumeramus; idcirco, quæ de Viris ediſſeruimus, de Mulieribus quoque dicta intelligimus. Ceterum nervis totis contendite, ne in excerptis hiſce promendis aliquod per oſcitantiam, aut incogitantiam errati a vobis excidat: multoque magis, ne quid falſi pro vero obtrudatis; ſed ea in omnibus ſolertia, eo Judicio utamini & delectu, qui Viros ſapientes, navos, Religioſos, & ſinceros quam maxime decet.

Quandoquidem autem Viros alloquor ſapientia præſtantes, non ſecus, ac conſcribendarum hujuſmodi Bibliothecarum longe peritiſſimos, non eſt cur Vos pluribus detineam; idcirco ab ulterioribus perſequendis lubens abſtineo. Adnectam dumtaxat pro non adeo inſtructis, ſi & ipſi ferre opem velint, quæ in unoquoque ſcriptore deſcribendo ſervare debeant omnino, quoad fieri poteſt: eaque ſunt quadantenus quæ in propoſita ſcheda ſuæ Bibliothecæ Occidentalis, quam infectam reliquit, caverat alias ac indixerat noſter Reverendus Ad. P. F. Andreas a S. Nicolao per Provinciam Narbonenſem Provincialis. Notent igitur.

I. Proprium Nomen quo quiſque in Baptiſmate conſecratus eſt.

II. Cognomen, ſive a natali ſolo ſit deductum, ut ab exeunte XIII. Chriſti ſæculo inolevit; (quod in vetuſtioribus, ſiqui ex integro reperiantur, ſcriptoribus accidet) ſive à vulgari Gentis, & Familiæ Cognomine aliove Titulo petitum ſit: quemadmodum ab exeunte ſæculo Chriſti XIV. ad XV. labentis periodum, & nunc etiam uſurpatum eſt; ſive ſit demum una cum Nomine a Sanctis mutuatum, veluti ſequioribus ſæculis apud Religionis noſtræ plures Reformatos uſu venit. Hæc autem poſtrema ita exhibeantur, ut Auctoris Nomen proprium, & Cognomen, quæ alias obtinuerat, nullo modo reticeantur.

III,

Digitized by Google